



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *QUI PRO NOSTRO* IN FOEDERATIS CIVITATIBUS  
MEXICANIS**

**CONDITUR NUNTIATURA APOSTOLICA** Ad perpetuam rei memoriam. – Qui pro Nostro munere de universa Ecclesia solliciti sumus, etiam in Nuntiaturas in Gentibus condendas operam quam maximam assidue impendimus, ut per publicas necessitudinis rationes Nationibus cum Sede Apostolica intercedentes commune religionis et civitatis bonum procuretur magisque in dies augeatur quieteque servetur. Quoniamque eiusmodi amicitiae vincula iam nunc inter Apostolicam hanc Sedem et Foederatas Civitates Mexicanas inita sint ac publico iure sancita, hoc ipso die per has Litteras, vi et potestate Nostra Apostolica Nuntiaturam Apostolicam in Republica Foederata Mexicana condimus eiusque sedem Mexicopoli collocari volumus, Pontificio Legato tum officiis et iuribus et privilegiis ecclesiastica lege tributis, tum pacta cum Civitatis Gubernio conventionem de eiusmodi munere statutis, ipsique Nuntiaturae honoribus, proprietatibus et indultis factis, quae ad Pontificias eiusdem ordinis Legationes pertinent. Quod denique hic statuimus Brevisque Maiore ediximus, id volumus nunc veniensque in aevum effectus habeat suos, contrariis quibuslibet haud obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Septembris, anno Domini MCMXCII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana